E S. RITUUM CONGREGATIONE

Litaniae de Sacro Corde Iesu.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis
Fili Redemptor mundi Deus, »
Spiritus Sancte Deus, »
Sancta Trinitas, unus Deus, »
1. Cor Iesu, Filii Patris aeterni »
2. Cor Iesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum »
3. Cor Iesu, Verbo Dei substantialiter unitum »
4. Cor Iesu, Maiestatis infinitae »
5. Cor Iesu, Templum Dei Sanctum »
6. Cor Iesu, Tabernaculum Altissimi »
7. Cor Iesu, Domus Dei et porta coeli »
8. Cor Iesu, fornax ardens caritatis »
9. Cor Iesu, iustitiae et amoris receptaculum »
10. Cor Iesu, bonitate et amore plenum »
11. Cor Iesu, virtutum omnium abyssus »
12. Cor Iesu, omni laude dignissimum »
13. Cor Iesu, rex et centrum omnium cordium »
14. Cor Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae »

15. Cor Iesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis miserere nobis
16. Cor Iesu, in quo Pater sibi bene complacuit »
17. Cor Iesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus »
18. Cor Iesu, desiderium collium aeternorum »
19. Cor Iesu, patiens et multae misericordiae »
20. Cor Iesu, dives in omnes qui invocant Te »
21. Cor Iesu, fons vitae et sanctitatis »
22. Cor Iesu, propitiatio pro peccatis nostris »
23. Cor Iesu, saturatum opprobriis »
24. Cor Iesu, attritum propter scelera nostra »
25. Cor Iesu, usque ad mortem obediens factum »
26. Cor Iesu, lancea perforatum »
27. Cor Iesu, fons totius consolationis »
28. Cor Iesu, vita et resurrectio nostra »
29. Cor Iesu, pax et reconciliatio nostra »
30. Cor Iesu, victima peccatorum »
31. Cor Iesu, salus in Te sperantium »
32. Cor Iesu, spes in Te morientium »
33. Cor Iesu, deliciae Sanctorum omnium »

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

℣. Iesu mitis et humilis Corde.

℟. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque misericordiam tuam

petentibus Tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

MASSILIEN.

R.mus Dominus Ioannes Robert, Episcopus Massilien. Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII demisse subiecit quasdam Litanias Sacratissimi Cordis Iesu, clero et populo Massiliensi apprime charas atque iucundas, praesertim ex eo quod iisdem tribuatur, Massiliam anno 1720 liberationem pestis a divina bonitate impetravisse. Hinc ipse R.mus Orator humillime expetivit, ut eaedem Litaniae et Apostolica Auctoritate approbari et in sua Massiliensi Dioecesi publice recitari valeant. De mandato Sanctissimi Domini Nostri, Sacra Rituum Congregatio Litanias praedictas examinandas suscepit, et exquisito voto E.mi ac R.mi Domini Cardinalis Adulphi Ludovici Perraud Episcopi Augustodunensis, qui antea de hac re ardens suae Dioecesis studium aperuerat et R. P. D. Ioannis Baptistae Lugari sanctae Fidei Promotoris, omnibusque accurate perpensis, easdem Litanias, prout in superiori extant exemplari, a se revisas atque sex invocationibus auctas ex aliis de Sacratissimo Corde Iesu Litaniis quae circumferebantur desumptis, ut numerus triginta trium invoca-

tionum in memoriam et honorem vitae temporalis divini Redemptoris impleatur, probari posse censuit. Sanctitas porro sua, referente infrascripto Cardinali sacrae eidem Congregationi Praefecto, Rescriptum Sacri Consilii ratum habens, hasce Litanias probavit, easque de speciali gratia indulsit tum Dioecesibus Massiliensi et Augustodunensi, tum universo Ordini Visitationis B. M. V., ut in Ecclesiis et Oratoriis publice recitari ac decantari queant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Iunii 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*
D. Panici *Secretarius.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

De quibusdam Cardinalium et Episcoporum iuribus et privilegiis.

IX.

Caius Sacerdos uni astitit ex Congressibus, qui aetate nostra in Ecclesiae societatisque utilitatem frequentius celebrantur. Cumque, illo absoluto, ab altero ex Purpuratis, pluribus in cho-

ro praesentibus Episcopis, Pontificalium Missarum solemnia in gratiarum actionem peracta fuissent, nonnulla animadvertit, quae liturgicis regulis minus consona sibi videbantur. Atque imprimis satis miratus est resciens, E.mo Cardinali ab Ordinario loci potestatem factam fuisse Pontificalia peragendi, in iisque gestandi baculum, ac si id nequirent E.mi ratione altissimae dignitatis, in cuius dedecus sibi videbatur dictae facultatis concessio. Singulos vidit Episcopos processionaliter ad altare pergentes pro Missa, pretiosioribus indutos pluvialibus, mitraque vel auriphrygiata vel argentea cooperto capite, et clericum cotta indutum ad latus cuiusque Episcopi incedentem. In Missae autem decursu, quoties fas erat ex Rubricis assurgere Episcopos in choro, toties aspexit relativum clericum unicuique illorum auferentem mitram, eique suo tempore superimponentem. Inservientes vero clericos haud genibus flexis, sed tantum inclinatos vidit ministrantes E.mo Pontificanti. Denique, cum in fine functionis instituta quaedam fuisset, extra Ecclesiam, processio solemnis, admiratione correptus fuit, quod omnes singulique Episcopi baculum pastoralem in ipsa gestarent. *Quaeritur:*

1.° *An omnia et singula Episcopi dioecesani iura competant quoque E.mis, extra proprium Titulum Pontificalia Missarum peragentibus, an ali-*

qua, quaenam, et quibus de causis, limitatio vi Rubricarum sit admittenda?

2.° *Cuinam de iure vel ex privilegio competat, quibus in functionibus, et qua de causa, baculi pastoralis usus?*

3.° *Quid de singulis, prout sunt in casu exposita, iudicandum?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Friderici Delenda Pont. Collegii Urbani de Propaganda Fide alumni, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 20 Aprilis 1898; acta Epitome per Rev. Dom. Felicem Ravanat.

I. An omnia et singula Episcopi dioecesani iura competant quoque E.mis, extra proprium Titulum Pontificalia Missarum peragentibus, an aliqua, quaenam, et quibus de causis, limitatio vi Rubricarum sit admittenda?

Quaedam, inter iura quae Episcopis competunt, sunt tam propria et E.morum S. R. E. Cardinalium, ut nulla sit quaestio de iis instituenda, eo vel magis, quod verba illa quaesitus nostri: *Episcopi dioecesani*, ut iis faciamus satis, attingere videntur ad iura illa, quae potissimum iurisdictionem respiciunt Episcoporum, non tantum honorem; unde sermo noster erit de throno, baculo pastorali, septimo candelabro, assistentia duorum Canonicorum veste Diaconali in solemnibus ministrantium, et Indulgentiis concedendis.

De throno in *Ephemeridibus Liturgicis* (*Vol. II, pag. 11*) haec opportune habentur : « *Thronum* sublimem sedendi locum esse facile concedunt omnes, ut et *sedes* communiter appelletur. Stare autem proprium est servorum, sedere vero principum ; illi enim istis inserviunt. Est itaque thronus veluti Sedes maiestatis, quae regibus principaliter convenit, qui dignitate reliquis excellunt ». Eaedem *Ephemerides Liturgicae* probant uni Episcopo dioecesano competere thronum, seu Sedem Episcopalem hoc argumento : « Innuimus iam cathedram sedem superiorem significare, solium exclusive esse regum, reliqua nomina, quibus appellatur thronus, munera Episcopalia exprimere, quae adeo supremi Antistitis sunt propria, ut in casu nulli alii valeant competere. Est ergo Episcopus primus in sua Ecclesia ; si autem primus, nulli alteri primatus tribuendus est, alioquin primus non esset amplius. Solium itaque solius est Episcopi, et ad nullum alium pertinet ; quia ipsi uni competit in sua Ecclesia animarum regiminis, doctrinae, iudicii, iustitiae, auctoritatis supremae potestas et exercitium. Tale proinde est thronus honoris insigne, ut iurisdictionem importet (*ibid. pag. 45*) ».

Patet ergo, nec dubitandum est, thronum, cum sit iurisdictionis signum, uni tantum Ordinario *in propria Dioecesi* competere. Non loquimur de eius forma, quot supereminere debeat gradibus, nec de loco ubi collocandus, et, an fixus vel mobilis esse debeat, haec enim ad casum nostrum haud referuntur, et Caeremoniale Episcoporum de his fuse loquitur. Notandum tamen opportune ducimus, nullum alium Episcopum, sit ille Titularis, sit Administrator, sive Suffraganeus, ius habere in throno sedendi, nisi ab Ordinario aut a Summo Pontifice licentiam habeat.

De pastorali baculo satis est adnotasse (quod nunc attinet), exclusive reservari Ordinario, cum speciale sit signum iurisdictionis, et nonnisi de Ordinarii licentia ab alio adhiberi posse.

Haec sunt vero quae a Caeremoniali Episcoporum traduntur circa septimum candelabrum (*Lib. I, cap. 12, n. 12*): « Celebrante vero Episcopo, candelabra septem super « Altari ponantur, quo casu crux non in medio illorum « sed ante altius candelabrum, in medio cereorum posi- « tum, locabitur ».

Macrius quaerit quaenam sit significatio huius septimi candelabri? Et respondet: « Alludere eum ritum ad « septem illa candelabra, quae S. Ioannes vidit in sua « Apocalypsi cap. I, et ad denotandum, quod Episcopus « septem Sancti Spiritus donis, per ipsa candelabra signi- « ficatis, ornari debeat. » Ita refert Catalanus in *Caerem. Ep. cap. XII, n. 12.*

Notetur, 1. non posse super Altari septimum poni candelabrum, nisi quando Episcopus Ordinarius solemniter Missarum pontificalia peragit, nullimode vero in aliis Functionibus, utcumque solemnibus. 2. Ordinarium, saltem ex consuetudine, ius illud nemini concedere posse.

Episcopus tandem ius habet ad assistentiam duorum Canonicorum, in throno Pontificalia celebrans, habitu diaconali indutorum; nec non Indulgentiam quadraginta dierum concedendi.

Nunc quaeritur, an haec, de quibus mox loquuti sumus iura aeque competant E.mis S. R. E. Cardinalibus extra proprium Titulum? Notetur verbum illud *extra*, etenim si sermo esset de proprio Titulo, nulla exsurgeret difficultas (nisi forte pro septimo candelabro). Et sane; E.mi Cardinales non modo omnibus decorantur episcopalibus ornamentis, sed et iurisdictionem realiter exercent in pro-

priis Titulis (1), unde quae iura Ordinariorum sunt propria, et illorum aeque propria erunt. De his fuse et solidis innixus argumentis loquitur Cardinalis Albitius in suo libro *De iurisdictione, quam habent S. R. E. Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum*. Quinimo eorum facultates, quoad Indulgentiam ampliores sunt, concedunt quippe dies centum, dum Episcopi tantum quadraginta.

Difficultas oritur dum agitur de Ecclesiis aliis, extra proprium Titulum. Quod Romam attinet, E.mi Cardinales extra proprium Titulum nullo eiusmodi gaudent privilegio, ob Summi Pontificis reverentiam ; et si quando Pontificaliter sunt alicubi extra Titulum celebraturi, toties quoties facultatem Throni erigendi a Summo Pontifice exquirere debent per Apostolicum sacrarum Caeremoniarum Praefectum. Una cum Throni concessione, concessa intelliguntur et cetera iura, quae propria sunt Titularium. Notandum tamen, quod si agatur de Ecclesia Titulari alterius E.mi Cardinalis, hunc posse sua iura cedere in alius E.mi favorem, absque Papae licentia.

Extra Urbem vero aliter se res habet; et, re sane vera, neminem ibi E.mus invenit superiorem, quia, ut ait Eugenius IV (*Ep. ad Archiep. Cantuarien.*), « Cardina-« lium dignitas est dignitas ecclesiastica et sacra, et in-« ter dignitates sacras est prima post Pontificatum Ma-« ximum ». Nunc quaeritur, licetne Cardinali extra Urbem Pontificaliter celebraturo, Throno uti, baculo pastorali, septimo candelabro, prout utuntur Episcopi, et assistentia Diaconorum sacris vestibus indutorum? De Throno

(1) Animadvertant minus periti, *Titulum* tradi E.mis Cardinalibus, quatenus Romanae Ecclesiae *Presbyteris ;* unde pro *Diaconis* Cardinalibus non valent haec, quae dicuntur, tametsi throni gaudeant praerogativa.

nulla difficultas, ex Caeremoniali Episcoporum enim Cardinalis tam Legatus, quam non Legatus hoc iure potitur. (*Caer. Ep. Lib. I, cap. 13 n. 4*) : « Si forte aliquis S. R. E. « Cardinalis Legatus de latere, vel non Legatus, rei Divinae « interesset, convenit ei sedes Episcopalis supradicta : E- « piscopus vero, si celebret, in Faldistorio in cornu Epi- « stolae ; si non celebret, et chorus sit in Presbyterio sub « tribuna, sedebit in digniore parte chori ».

Relate ad baculum pastoralem, quaestio parumper implicatur. Extant multi auctores, inter quos cl. De Herdt, affirmantes, quod Cardinalis celebrat in solio, non autem utitur baculo, nisi huius usum concederet loci Episcopus ; neque ei assistunt Diaconi assistentes.

Hoc verbum « concederet » duplici subiici potest interpretationi ; aut accipitur pro donatione rei alias haud debitae, aut pro consensu re utendi alias alicui competente. Prima interpretatio in casu nostro admitti non potest, hanc ob rationem, quia inferior, qualis esset nempe Episcopus, dare non valet superiori, nempe Cardinali, facultatem re utendi non debita ; unde altera ad rem facit et sensus est, Episcopum assentire in casu, quod Cardinalis baculo utatur, huic alias competente extra Urbem, quamvis baculus iurisdictionem importet, cuius Episcopus, suo consensu, non sentire iudicat imminutionem. Hoc, quamvis indirecte, ex Caeremoniali Episcoporum eruitur (*Lib. I, cap. 4, n. 2*) : « Quod si esset praesens Cardinalis non Legatus una « cum Episcopo non Cardinali, abstinebit simili modo E- « piscopus non celebrans ab omnibus benedictionibus, nec « crucem sibi praeferri permittet, si erit Archiepiscopus, « *remittens* omnia... munia Episcopalia exercenda ipsi Car- « dinali praesenti ; celebrans vero Episcopus debet per a- « liquem suum Capellanum Cardinali praesenti significare, « ut omnia praedicta munia exercere et benedictiones da-

« re dignetur ; quae si Cardinalis facere, et exercere ex « urbanitate noluerit, poterit Episcopus celebrans omnia... « munia adimplere ». Notetur illud « *remittens* omnia..... munia episcopalia exercenda ipsi Cardinali praesenti »; ergo dici potest. Ordinarius teneri ex Caeremoniali ad id faciendum, in quo et usus continetur baculi pastoralis. (*V. ib. cap. VII. n. 5*).

De septimo Candelabro tamen, non videtur idem dici posse, et revera nec in propriis Titulis E.mi Patres eo utuntur, ergo a fortiori in ceteris Ecclesiis. Caeremoniale de eo tacet, auctores fere omnes silent. Martinuccius negat etiam in propriis Titulis, Catalanus in illis admittit. Consuetudo tamen Martinuccio suffragatur, ut diximus.

Assistentia Diaconorum usque ad annum 1887 a pluribus auctoribus denegabatur S. R. E. Cardinalibus solemniter celebrantibus, inter quos a cl. De Herdt, sed ex eo tempore non amplius adest difficultas, habemus enim Decretum S. Congr. Rituum diei 14 Iunii 1887 in una *Neapolitana*, in quo expetitur : « An Sanctae Romanae Eccl. « Cardinali Missam in Pontificalibus celebranti extra Ur« bem et extra locum suae iurisdictionis liceat praeter tres « sacros Ministros Altaris, habere Diaconos sacris para« mentis indutos sibi in cathedra seu throno adsisten« tes ? » Et sacra Congregatio absolute respondit : « *Affirmative* ». Ergo . . . .

II. Cuinam de iure vel ex privilegio competat, quibus in functionibus, et qua de causa, baculi pastoralis usus ?

Baculus pastoralis est acutus in extremitate, rectus in medio et curvus in summitate, praecise ad designandum quod Pastor, seu Episcopus debet pungere pigros, regere debiles sui rectitudine, et colligere vagos. Haec signifi-

catio baculi pastoralis eruitur a Glossa, in capite unico *de Sacra Unctione*, sic descripta :

« In baculi forma, praesul, datur haec tibi norma:
« Attrahe per primum, medio rege, punge per imum.
« Attrahe peccantes, rege iustos, punge vagantes.
« Attrahe, sustenta, stimula vaga, morbida, lenta ».

Omnes auctores Liturgici sunt unanimes in asserendo baculum pastoralem esse signum iurisdictionis. Catalanus ait baculum pastoralem in manibus Episcopi esse veluti sceptrum in manibus Regis. Idem Auctor, in suo Commentario ad Caeremoniale Episcoporum (*cap. VIII, n. V*), demonstrat multa eruditione baculum pastoralem denotare iurisdictionem Episcopalem. Et revera opportune notat : « Baculum olim pastoralem Episcoporum, sicuti et sceptrum « Regum, initio non fuisse, nisi baculos, quibus gressum firmarent, quae tandem lapsu temporis addita iis « opulentia, evaserunt utrorumque insignia. Sed quidquid « de ea opinione sit, certe pastoralis baculi, ad significandam Episcoporum dignitatem ac iurisdictionem, meminit « Sanctus Gaudentius. Ita enim ait (*Sermo V, in fine*) : « Si quis est Apostolicus, et per Iesum magnus factus « (Episcopus scilicet) ac potens, iam non propter se Baculum portat, sed propter eos quibus dici necesse est : « Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate ? » Sicuti apparet, alludit ad epistolam S. Pauli ad Corinthios. Idem S. Gaudentius vocat baculum pastoralem : « Baculum correctionis ». Est ergo evidens saeculo IV, in quo vixit Gaudentius, pastoralem baculum fuisse signum iurisdictionis episcopalis. Insuper S. Isidorus Hispalensis Episcopus, in libro secundo *De Officiis, cap. V*, ait: « Huic (seu Episcopo) dum consecratur, datur baculus ut eius indicio « subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates « infirmorum sustineat. » Praeterea novimus ex historia,

quod, cum Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus Photius introivit in Synodum *cum baculo*, Marinus Romanus, Vicarius Papae, ordinavit ut tolleretur e suis manibus pastorale dicens: « Tollite baculum de manu eius, signum est « enim dignitatis pastoralis; quod hic habere nullatenus « debet, quia lupus est et non Pastor. »

Tandem ex formula ipsa, qua traditur baculus pastoralis, apparet dictum pastorale esse signum iurisdictionis. Innocentius III, in primo libro *de Mysteriis Missae*, *cap. 62*, dat formulam sui temporis: « Baculus correctionem significat « pastoralem, propter quod a Consecratore dicitur: Recipe « baculum pastoralitatis, ut sis in corrigendis vitiis pie « saeviens. » Idem Innocentius ait, quod idcirco Bacu- « lus Pastoralis sit acutus in fine, rectus in medio, recur- « vus in summo, quia « Pontifex debet pungere pigros, re- « gere debiles, colligere vagos. »

Nunc quaeritur, cuinam de iure competat usus baculi pastoralis? De iure competit Ordinario in sua propria Dioecesi; Cardinali in proprio Titulo, et Abbati in propria Ecclesia, ter in anno, seu melius, quoties potest solemniter pontificalia peragere. Quod Ordinarius habeat ius ad baculum pastoralem, evidens est ex eo, quod hucusque diximus. Insuper in Caer. Ep. (*lib. I, cap. XVII, n. 5*) legimus: « Utitur ergo Episcopus Baculo pastorali in sua tantum « Civitate, vel Dioecesi, et etiam alibi, ex permissione loci « Ordinarii, et ubi consecrationes, aut ordinationes, vel « benedictiones personales facere ipsi Apostolica auctori- « tate conceditur. » Ergo Episcopus extra suam Dioecesim non potest uti Pastorali, nisi ex permissione Ordinarii loci, aut quando debet exercere aliquam functionem in qua Caeremoniale prescribit usum Pastoralis; hoc in casu, non opus est licentia Ordinarii, haec enim licentia datur ipso facto ab Auctoritate Apostolica. Id confirmatur ex S.

R. C. Decreto, in *Brachaarensi*, 1 Sept. 1607 (**236**). In eo enim S. eadem Congr. declaravit: « Suffraganeum solem-« niter celebrantem non debere sedere in Sede Archiepi-« scopali; sed in Faldistorio in cornu Epistolae locando; « nec debere uti baculo pastorali nisi, quando tenuerit Or-« dinationes, vel alias functiones fecerit, in quibus iuxta « regulas libri Pontificalis, eo uti debet et necesse est. » De S. R. E. Cardinalibus satis est dicere, quod cum in suis propriis Titulis plenam et veram iurisdictionem habeant, et sit baculus pastoralis signum iurisdictionis, non adest dubium, quin possint eo uti. Idem argumentum valeret pro Abbatibus habentibus propriam iurisdictionem, cum differentia tamen, quod, cum facultas ipsis limitetur peragendi Pontificalia, consequenter et limitatur usus baculi pastoralis.

Quibus tandem in functionibus adhibeatur baculus pastoralis cum satis pateat ex Caeremoniali Episcoporum et Pontificali Romano, ad ea amandamus, ne tempus inutiliter teramus. Causa vero est potestas et iurisdictio, quas exercet Episcopus, seu alius in solemnibus actibus.

III. Quid de singulis, prout sunt in casu exposita, iudicandum?

Ille loquendi modus: « E.mo Cardinali ab Ordinario « loci potestatem factam fuisse Pontificalia peragendi. » videtur nimis improprius, non enim, uti superius diximus, inferioris est superiori potestatem concedere; ac ceterum, ex Caeremoniali, Episcopus tenetur omnia munia episcopalia *remittere* Cardinali praesenti. Ita dicendum de Pastorali, Episcopum nempe non dare facultatem, sed assentiri posse ut Cardinalis deferat.

Quod Episcopos attinet, in Processione Pluvialibus indutos pretiosioribus, dicendum talem pretiositatem non debere aequare illam qua ornantur paramenta Celebrantis, eo vel magis quando potiori dignitate hic fulget.

De Mitra eorumdem Episcoporum, idem fere dicendum; unde nisi velimus eos teneri ad usum Mitrae simplicis albae, in casu, saltem pretiosam omnino non admittemus. Notandum hic Mitram argenteam simplicem non esse de ornamentis episcopalibus: Summus Pontifex tantum ea utitur in luctus functionibus.

Clericos Episcopis assistentes ad Mitram sustentandam, imponendam et auferendam non approbamus; ipsi S. R. E. Cardinales, Summo Pontifici parati adstantes, suis sibi manibus imponunt auferuntque: ipsi Episcopi assistentes et conconsecrantes in consecratione aliorum Episcoporum, nec non Episcopi in Synodo Provinciali, tenentur propriis manibus deferre, et imponere et auferre Mitram.

Inservientes Clerici male operati sunt omittentes genuflexiones coram E.mo Pontificanti. Probatur ex sequenti S. Rituum Congregationis Decreto (in una *Neapolitana diei 14 Iunii 1887*). S. C. interrogata: « An Sanctae « Romanae Ecclesiae Cardinali celebranti, aut in cathedra « seu throno adsistenti, vel quovis alio in casu, etiam « extra cathedram seu thronum adstanti, habitu tamen « Cardinalitio induto, debeatur ab omnibus genuflexio, « sicuti Ordinario in propria Dioecesi? Et quatenus ne- « gative: An Ordinario loci potestas sit huiusmodi ho- « norem concedendi? » Et Sacra Congr. respondit: « *Af- « firmative*, si in cathedra seu throno assideat; secus, *Ne- « gative*. »

Tandem admiratio, qua correptus fuit Caius in fine functionis, cum vidit omnes Episcopos baculum pastoralem in Processione gestantes, iniusta non fuit; sciebat enim, ut videtur, baculum illum signum esse iurisdictionis, quae exerceri potest ab uno tantum, uti ex ipsa rei natura manifestum fit; hinc, cum illa in casu exerceretur ab E.mo Cardinali, nullus alius poterat ea superindui.

Ceterum in ipsa Provinciali Synodo, in qua Episcopi singuli propriam repraesentant Dioecesim et votum habent decisivum, unus Archiepiscopus baculum deferre potest.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Senogallia*. Cum aliquid minus exactum irrepserit in Dubio VIII praeteriti num. 7. instante Rev. Dom. Consulente, illud pro meliori declaratione resumimus, eique praesens sufficiendum lectoribus exhibemus.

De 3. Orationis qualitate in Missa pro Sponsis, speciali occurrente casu. Cum Missa pro Sponsis celebratur in festis Deiparae occurrentibus ab Octava Paschae usque ad Ascensionem (v. gr. in festo B. M. V. de Bono Consilio, die 26 Aprilis), neque ulla commemoratio occurrit, dicendane est tertio loco Oratio *de Spiritu Sancto* assignata pro Missis votivis B. M. V. (uti docet Cesari in suo Caeremoniali), vel potius Oratio *Ecclesiae* vel *pro Papa*, quae tertio loco dicenda assignatur a Rubrica in festis semiduplicibus ab Octava Paschae ad Ascensionem usque?

Resp. Lex est generalis: Missa pro Sponsis est votiva privata: ut Orationes illas consequenter admittat, quas votiva privata exigit. Hoc est: 1. Pro sponsis, quorum Missam celebrari ponimus: 2. est diei, hoc est de festo B. Mariae a Bono Consilio dictae: 3. de qua est quaestio, nulla speciali commemoratione occurrente, illa esse debet, quae in semiduplici, pro tempore, in Missali 2. loco praescribitur, in casu autem cum agatur de tempore ab Octava Paschae ad Ascensionem, praescripta legitur *Concede nos* (*Tit. IX, n. 6*).

Verum statim manifesta occurrit difficultas; cum enim 2. loco iam dicta fuerit Oratio B. M. V. de Bono Consilio, ne bis in idem incidatur, tertia Oratio *Concede nos*, seu de eadem Beata esse nequit, et mutanda est. Huic ergo substituenda ne Oratio de Spiritu Sancto, an potius *Ecclesiae* vel pro Papa? Rubrica gen. (Tit. IX, n. 15) ait: « In (*Missis*) votivis B. Mariae secunda Oratio dicitur de officio illius diei et tertia de Spiritu Sancto: sed in Sabbato, quando de ea factum est officium, secunda Oratio erit de Spiritu Sancto, tertia *Ecclesiae tuae*, vel pro Papa ». Ubi vides, Orationem de Spiritu Sancto in Missis votivis Deiparae praeferri Collectae *Ecclesiae tuae*. Nam, quando Missa non respondet officio B. Mariae in Sabbato, dicitur tertia Oratio de Spiritu Sancto, et Collecta *Ecclesiae tuae* omittitur: quando autem Missa officio de S. Maria respondet, tunc dicitur quidem Collecta *Ecclesiae tuae*, sed tertio loco, praemissa secundo loco Oratione de Spiritu Sancto. Casus noster alius est quidem, cum agatur de Missa votiva, non Deiparae, sed pro Sponsis; at ratio dicendi Orationem de Spiritu Sancto, vel *Ecclesiae tuae*, eadem esse videtur. Ergo, cum eadem videatur esse ratio, sequitur eamdem applicari posse dispositionem Iuris. Et reapse, sit Missa respondens officio de S. Maria in Sabbato, sit Missa pro Sponsis, certum est, Orationem *Concede nos* dici non posse: hoc patet, sicut id faciendi patet et ratio. Ergo sicut in prima hypothesi pro *Concede nos* Oratio de Spiritu Sancto praescribitur, ita et eadem praescripta dici potest in hypothesi altera. Consequenter sequendam credimus opinionem Cesàri, hoc est: « Tempore, quo pro tertia Oratione ponenda esset Oratio de S. Maria (seu *Concede nos*), sufficienda erit Oratio de Spiritu Sancto, uti fit in votivis de eadem B. Virgine (*Cerem. d. Mess. Lib. IV, n. 1164*). »

Quid vero dicendum, si quis in casu Orationem de Spiritu Sancto relinqueret, non tamen recitaret *Concede nos*, sed aliam *Ecclesiae tuae*, vel pro Papa? Respondemus, absolute loquendo eiusmodi agendi rationem reprobari non posse; quia quod superius diximus educitur quidem e lege, sed legem non constituit. Aliunde alii similes non desunt casus, in quibus cum prima ex duabus Orationibus dici nequeat, altera dicitur. Primus nihilominus se gerendi modus magis videtur adhaerere communi legi in casu.

II. *Ex oppido Zubarcos in Hispania.* **De Missa de requie, in Parocho facultate binandi praedito et paupere, in die festo.** Benedictus XIV in const. *Cum semper*. § 8. docet Parochum ob rationem *paupertatis* ad alium diem transferre posse Missam pro populo. Nonnulli Parochi pauperes privilegio binationis gaudent in eadem Ecclesia, quae exigua extat ad omnes fideles simul recipiendos. Quaeritur:

In die binationis praedictis Parochis licet de Requie (corpore praesente) celebrare unam e duabus Missis, dum alia de causa ex. gr. quia Pascha etc. est, non prohibetur Missa exequialis?

Resp. Haud exactum videtur praedicare, Benedictum XIV docere, Parochum ratione paupertatis ad alium diem posse transferre applicationem Missae pro populo. Nam praefatus Pontifex agit imprimis de illis Parochis, qui adeo sunt pauperes, **ut ferme ex eleemosynis, quas pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur.** Hinc videndum esset in casu, num eiusmodi revera sit paupertas, in qua Parochi, de quibus in casu, versantur. Sed, quod magis perpendendum praeterea est, respicit dicti Pontificis potestatem factam, non Parochis remittendi ad alium diem applicationem Missae pro populo, ut die festo eleemosynam oblatam a fidelibus recipere valeant, sed Epi-

scopis dispensandi pro eorum prudentia Parochos vere pauperes, qui ab ipsismet Episcopis propriis dictam licentiam petierint. En textualia verba Constitutionis Benedicti XIV. **Cum semper oblatas**, § 8: « Unicuique vestrum facultatem concedimus cum iis, quos revera **tales** esse noveritis (*vere scilicet pauperes in sensu superius relato*), opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus festis eiusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eis requiratur, libere et licite possint et valeant etc. »

Hoc praemisso quod servandum est, reponimus duo in festis diebus onera inesse Parochis: primum respicit rei substantiam, alterum respicit modum. Illud consistit in applicatione Missae pro populo et pertinet ad ius canonicum, istud vero consistit in conformitate Missae cum officio, et hoc pertinet ad ius liturgicum. Non solum autem applicanda est in casu Missa pro populo; sed, citra dispensationem, eiusmodi Missa officio Ecclesiae, seu illius Calendario respondere debet. Quod adeo verum est ut Parochus quando tenetur applicare pro populo, Missam praesente cadavere nequeat facere, uti pluries S. R. C. declaravit. Idem quoque declaratum habetur e S. C. Concilii, ut, vi etiam huius dispositionis, Parochus in Dominicis aliisque festis de praecepto non possit celebrare Missam pro defuncto, et ad aliam diem transferre Missam pro populo applicandam (*Fesulana 26 Ian. 1771*). Equidem casus expositus respicit applicationem, seu praecepti substantiam, non modum, seu conformitatem Missae cum officio. Sed parum interest, sive quia utrumque connexum est, sive quia definitum est: « quoad . . . Missam parochialem, eam officio diei conformem esse debere, quando peragenda sit cum applicatione pro populo (*S. R. C. Dubium, 21 Febr. 1896*) ».

Hisce haud obstantibus, notandum est, in casu nostro agi de Parochis, qui binandi facultate pollent, quam in praxim deducunt. Porro exploratum est, eos in casu, non ambas Missas applicandi pro populo obligatione teneri, sed unam tantum. Non enim duplex iis est paroecia regenda, sed una ; et ideo binant, quia populum multum non capit Ecclesia parochialis. Consequenter unusquisque ex illis obligationi suae satisfacit, unam tantum applicando Missam pro populo. Sicut itaque Missa, quae applicanda pro populo est, conformis esse debet officio, ita alia pro populo non applicanda, necesse non est ut eidem officio respondeat. Ergo Parochi in casu a Missa de requie dicenda, praesente cadavere, non vetantur.

Sed aliud quoque considerandum est, videlicet, eos, qui binandi potestate gaudent, non posse pro altera Missa stipendium accipere. Adeo ut, sine speciali S. Sedis privilegio, numquam stipendium permittantur recipere pro secunda Missa, etsi illud causae piae applicetur. Ita S. C. Concilii *in una Galliarum* 25 Sept. 1858, et 21 Mart. 1863 ad *Archiepiscopum Colon.* in quo expresse notatur : « firma semper manente prohibitione accipiendi stipendium pro secunda Missa ». Hae vero aliaeque plures recentiores dispositiones pro basi habent, quam evolvunt, Constitutionem Benedicti XIV *Quod expensis*, editam die 26 Aug. 1748. Neque valet opponere, pro prima Missa, in casu, non recipi stipendium, quippe quae pro populo applicatur. Namque S. C. Concilii in una *Cameracen.* 25 Sept. 1858 ad 2, rogata : « An Parochus qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque Missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur ? » respondit quidem *Negative* ; sed addidit : « Firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa ». Hinc cl. Lehmkuhl scribit : « Constans autem est prohi-

bitio, pro secunda Missa, quae sic ex necessitatis causa celebratur, ullum stipendium accipiendi ; **neque obligatio ulla iustitiae vel quasi-iustitiae, v. g. obligatio Parochi, qua pro populo applicare debet, ea Missa potest extingui** (*Pars II, L. I, Tract. IV, n. 215, 5*). »

Quare autem ? Quia applicationi ex iustitia respondet semper temporalis remuneratio, quae si directa non est, erit saltem indirecta. Sacra autem C. Concilii exquisita « An Parochus, qui non potuit celebrare Missam die, in quo legenda erat pro populo, possit ad satisfaciendum huic oneri secundam Missam in subsequenti festo ex binatione celebrandam applicare in casu ? » respondit : « Negative (*Vicarien. 5 Mart. 1887 ad 2*) ». Porro, si neque directa, neque indirecta remuneratio temporalis accipi potest pro secundae Missae applicatione, non videmus quomodo ita secunda Missa applicari possit pro defuncto, praesente cadavere, ut recipi quoque possit pro ea stipendium, quod ex iustitia debetur Celebranti.

Arroges, rationem prohibitionis recipiendi eleemosynam pro secunda Missa hanc esse, ut quodvis mercimonium arceatur, ut turpis lucri cupiditas damnetur, ut quodvis periculum in re amoveatur. Ergo etiam in casu vetitum ligat, cum praefata incommoda facile comprobari queant. Inde palam sequeretur, Parochos in casu Missam secundam applicare citra controversiam posse pro defuncto, non vero stipendium pro ea recipere.

At opponi potest, non solum in casu Parochos applicare posse secundam Missam, sed etiam teneri ; quia Parochi sunt, ut expetiti de applicatione, se recusare nequeant. Respondemus : esto ; sed etsi admittas, eos teneri ad applicationem, non tamen inde sequitur, eos teneri quoque ad recipiendam eleemosynam ; imo nec eam posse recipere cum agatur de altera Missa, pro qua illius receptio omnino vetita est.

Sed urgebis : ergo damnum Parochorum erit in utilitatem haeredum, qui ditiores sine causa fient. Reponimus consectarium legitime sequi, sed tamquam inconveniens necessarium, de quo conquerendi Parochi ius nullum habent. Nam secunda haec Missa est in gratiam populorum non in utilitatem Celebrantium, ut per consequens si illi ditiores fiunt, nihil intersit, sed isti fieri ditiores nequeunt, cum sit omnino prohibitum. Sicut ergo Celebrantibus libertas est, in genere, hanc secundam Missam utcumque voluit applicandi, quin tamen unquam accipere pro ea eleemosynam valeant, ita in casu, si eam pro defuncto applicaverint, neque eadem de ratione eleemosynam recipere poterunt.

Forte severam nimis sententiam praefatam dices; sed reponimus satis quoque severam esse Constitutionem ad rem Benedicti XIV, aliorumque Decretorum declarationes, quas hactenus S. C. Concilii emanavit.

Ceterum, si Parochis, de quibus in casu, permittat Episcopus ut applicationem Missae pro populo remittant quandoque ad aliam diem, iuxta superius exposita, quare idem agere, eodem permittente Episcopo, non possent in casu? Adeo ut, si id expedire Episcopus in Domino iudicaverit, Missa, quae applicari deberet pro populo, quam Parochi remittere ad aliam diem permittuntur, applicet pro defuncto, et Missae secundae libera sit applicatio. Licitum est enim Missam de requie, cadavere praesente, in nigris canere sine applicatione (*S. C. C. apud Ephem. Lit. 1896, pag. 292*)., Hoc autem in casu eleemosynam pro una Missa recipere Parochi in casu possunt, eleemosynam pro altera omnino vetitam relinquent, et altero die Missam pro populo applicabunt. Caveant tamen ne alteram Missam pro populo applicent, quod ex superius dictis prohibetur.

III. *E Mantua.* **De benedictione non cantanda a Neopresbytero in sua prima solemni Missa.** Licetne Neopre-

sbytero in sua prima solemni Missa canere *Benedicat vos etc.* more episcopali cum una tamen benedictione ?

Resp. Negative, ex multiplici ratione, quam serio perpendendam cl. Consulenti libenter exhibemus. 1. Quamvis Sacerdotem oporteat benedicere, iuxta Pontificale Romanum, exploratum est nihilominus, neque omnes benedictiones ei competere, neque eas, quas ipse facere vel impertire valet, quocumque modo posse impertire. Hinc iuxta Rituale Romanum cavendum est Sacerdoti, **ne maioris dignitatis munera temere aut imperite usurpet propria auctoritate** (Tit. VIII, Cap. 1, n. 1). Eiusmodi autem esse, seu maioris dignitatis propriam, benedictionem solemniori modo, nempe cum cantu impertiendam, in fine Missae, patet ex Missali Romano apertissime dicente « In Missa solemni Celebrans **eadem voce et modo,** quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo (*Rit. celebr. Tit. XII, n. 7*) ».

2. In primaeva antiquitate simplex Sacerdos, nullo modo in Missa populo benedicebat : ut consuetudo eiusmodi incoepta alicubi dicenda sit post IX^{um} saeculum, cum nec Amalarius, nec Florus, nec Rabanus Maurus, nec Walphridus, nec Remigius notati temporis scriptores de illa loquantur (*Ben. XIV, De Sacr. Miss. n. 382*). Imo Innocentius III quem allegat praelaudatus Pontifex, de hac benedictione in fine Missae verba faciens, ab Episcopo dicit semper esse dandam, et de simplicibus Sacerdotibus altum silentium servat (*Ib. loc. cit.*). Quod si successu temporis usus invaluit, ut etiam Presbyteri benedicerent populum in fine Missae, imo etiam solemniter trinaque benedictione, more Episcopali, uti ipsemet Benedictus XIV docet (*loc. cit.*), S. Pius V eiusmodi consuetudinem abrogatam voluit, quoad trinam benedictionem, in Missis privatis, et pro solis solemnibus permisit. Sed postea Clemens VIII hoc quoque prohibuit, permisitque tantum Sa-

cerdotibus benedictionem simplicem et privatam, solemnem trinamque reservans, ut de quibusdam Praelatis sileamus, solis Episcopis (*Vid. Gardellini in nota ad Decr. Veronen. ad 1. d. d. 27 Aug. 1836*). Hinc facile patet, solemnitatem ad minus, huiusce benedictionis in Missa a simplici Sacerdote, nonnisi per abusum invaluisse, quam proinde toto iure Pontifices abstulerunt, nullique privato homini licebit inordinationem sublatam iterum inducere.

3. Adducitur consuetudo Romae vigens. Sed primo animadvertendum, adducere inconveniens non esse profecto quaestionem solvere; et lex Missalis clamabit semper contra transgressores. Deinde, quaerimus quisnam potuerit asserere, hanc vigere in Urbe consuetudinem, ut Neopresbyter primam Missam solemniter agens, populo in fine solemniter seu in cantu benedicat? Summa corripimur in hoc audiendo, admiratione; et ab aliquo singulari casu abstrahentes, quem inter possibiles ponimus (sed una hirundo non faceret ver) omni cum securitate dicimus et demonstramus, assertum esse prorsus a veritate absonum. Quot enim potuimus Sacerdotes omni fide dignissimos hac super re interrogavimus, et maxime omnes et singulos Apostolicarum Caeremoniarum magistros, ex quibus aliquis primae Missae Neopresbyteri saepe praesens est; et ex iis unusquisque idem nobis responsum dedit, casum unum praefatae consuetudinis se non vidisse. Praeterea Missa prima Neopresbyteri, pluries in anno, canitur in Ecclesia Pont. Seminarii Romani, S. Apollinari Martyri dicata, sed ibi quoque nullus comprobatus est eiusdem consuetudinis casus, si testibus certis, ocularibus et auditus fidem adhibeamus.

4. Intelligere non valemus, quare id licere posset in prima Neopresbyteri Missa solemni, non autem in aliis. Eadem enim est Missa, prima vice cantata a Neopresbytero, ea-

dem quae ab omnibus et quibuscumque Sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus quocumque tempore canitur. Si ergo licet prima vice, licebit semper. Nec valet opponere Presbyterum assistentem, qui in prima Missa Neopresbyteri permittitur, negari in reliquis: ut proinde concludi possit, maioris solemnitatis rationem in illa permittere quod in aliis Missis vetatur. Primo, quia aliud est maior solemnitas in aliquo extrinseco ad Missam, ad quod pertinet Presbyter assistens, sicut duo ministri inservientes, candelae plures, etc. et aliud est solemnitas in intrinseco consistens seu in ritibus et caeremoniis, quae auctoritati privatae mutare non licet. Ceterum pro illa extrinseca solemnitate lex loquitur, pro ista intrinseca lex tacet, imo in contrarium loquitur, ut ab initio visum est. Ergo nil aliud remanet, nisi **in omnibus et per omnia servari Rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque praetextu, et etiam, si detur, contraria consuetudine, quam** *S. R. C.* **abusum esse declarat.** De iisque observandis curent Episcopi, ad id enim tenentur in conscientia.

IV. *E Bohemia.* **De mutando tertio versu ad « Iste Confessor » in casu speciali.** Decretum antiquum S. R. C. d. d. 13 Iunii 1682 *in una Ord. S. Francisci ad 6* (n. 2988), decernens: Quando contingit transferri festum alicuius Sancti Confessoris a die sui obitus in diem proxime sequentem, tum in I. Vesperis, tum in reliquo Officio retinendum esse versum « *Meruit beatus* » in casu quando Sanctus primas, saltem a Capitulo, Vesperas habet, *nunc a nova Collectione Decretorum est expunctum.* Et habetur aliud recens Decretum d. d. 14 Martii 1896 *Basilecn. ad II.* (publicatum in *Ephemer. Liturg.* 1896 pag. 199), iuxta quod *debet mutari tertius versus* in Hymno « *Iste Confessor* » etiam in primis Vesperis festi B. Confessoris, in proxime sequenti die perpetuo repositi, et accidentaliter primas Vesperas habentis.

Et nihilominus docent *Ephemerides Liturg.* adhuc anno 1898, pag. 460 (quod alias anno 1896 pag. 339 dixerant): « Si festum habeat primas Vesperas, vel saltem a Capitulo, licet translatum immediate post diem obitus, tertius versus non est mutandus ». Quid tenendum?

Resp. Cum totum Decretum, de quo in casu, expunctum e Collectione fuerit, ipsum Dubium sextum dicti Decreti in eadem Collectione amplius non apparet, saltem in praesenti Volumine. Dicimus: *in praesenti Volumine*: quia fieri potest, ut inter nova Decreta appareat in fine Collectionis. Ratio est, quia incongruum videri potuit ex pluribus dicti Decreti Dubiis unum tantum servare, cum consultius fortasse posset inter nova inseri, Titulo mutato, seu provenientia, ipsaque subscripta die, anno et reliquis: id nos credimus. Haec quod pertinet ad primum Decretum *in Ord. S. Francisci ad 6.* Quod vero spectat alterum, seu in *Basilcen.* ad II, res non ita est perspicua, uti adm. Rev. Consulenti apparet. Namque agitur de B. Nicolao de Flüe, cuius officium agitur die 22 Martii, cum natalis sit 21 dicti mensis, qui solam habere potest commemorationem in I Vesperis integris S. Benedicti: dup. min. ille, iste dup. maius. B. Nicolaus autem supponitur concurrere in suis primis Vesperis cum secundis alicuius Dominicae Quadragesimae vel Passionis, et duo quaeruntur hoc in casu, in quo *Iste Confessor* locum habet: 1. utrum 3^us^ versus sit mutandus: 2. utrum huiusmodi mutatio sit indicanda in Proprio Diocesano. Responsio est affirmativa, iuxta exemplum Breviarii *in festo S. Hyacinthi Conf. die 16 Augusti.*

Nunc nos animadvertimus, duplicem esse petitionem et responsum unum, uti patet; quia aliud est versus mutatio, et aliud est eiusdem mutationis indicatio in Pro-

prio. Cuinam igitur ex duobus petitis responsio applicanda ? Ad primum ne tantum ? Num ad secundum ? Num ad utrumque ? En nostra difficultas. Nunc autem, ad primum tantum responsio applicari nequit: *a*) quia supponi non debet, S. R. Cong.nem petitionem secundam sine responso reliquisse; *b*) quia exemplum in responso positum manifesto indicat hoc secundae applicandum esse petitioni, potiusquam primae ; *c*) quia ex expunctione Decreti *in Ord. S. Franc. ad 6* non satis clare infertur disciplina mutata, cum idem Dubium locum habere possit, cum solutione iuxta antiquam disciplinam , in extremo novae Collectionis Volumine, ut superius expositum est. Ad secundam vero petitionem tantum applicandum esse responsum, non permittit ratio prima ex tribus mox allatis. Ergo ne ad utramque petitionem applicanda erit affirmativa responsio ? Sed obstare item videtur ultima ex allatis rationibus. Quid igitur dicendum ? En nostra sentiendi ratio: Prima petitio, si uti sonat materialiter accipiatur, deberet, iuxta antiquam disciplinam , negativam responsionem habere; quia primae Vesperae, accidentaliter quidem, sed vere in die obitus dicendae sunt, ac proinde mutationem tertii versus respuunt. Secunda petitio habere certo debet affirmativam responsionem ; quia in Breviariis Horisque diurnis non notatur mutatio tertii versus , quando haec per accidens occurrit , sed tantum quando generaliter facienda est. Lex enim respicere non debet casum aliquem fortuito advenientem, sed id quod communiter accidit ; communiter autem accidit, ut dicta mutatio facienda sit. Hoc posito, cum audere nequeamus, minus rectam dicere praefatam responsionem , quae deberet esse negativa ad primam partem , affirmativa ad alteram , sequenti modo rem componimus ; ita nempe explicamus, primam petitionis partem , ut secundae cohaereat , quasi dice-

ret, non iam quod sit **dicenda**, sed quod sit **facienda** mutatio tertii versus et apponenda, seu *indicanda* in Proprio. Per quod significatur, litteras *m. t. c.* in dicto Proprio debere semper esse inscriptas: sive primas Vesperas non habeat B. Nicolaus, uti quando cum S. Benedicto concurrit, sive primas Vesperas habeat, uti quando concurrit cum praecedenti Dominica aliqua maiori, quamvis hoc in casu mutatio tertii versus non sit dicenda, quia dies obitus est, sed casum hunc lex non respicit, ut supra innuimus. Haec pro modulo nostro, cum credere nequeamus, S. R. Cong.nem agendi modum hucusque retentum, quoad tertium versum in hymno *Iste Confessor*, voluisse mutare, sicque explica quod *Ephemerides* dixerunt.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Curenna.* Ubi occurrit Titulus Ecclesiae in Vigilia Pentecostes, Missa de festo cantari potest; sed praeter hymnum angelicum, Orationem unicam et Symbolum, habere quoque debet Praefationem, *Communicantes* et *Hanc igitur* propria Vigiliae, cum non habeantur propria festi.

II. *Pro eodem loco.* Decretum in *Lincien.* d. d. 3. Iun. 1892 ad XVII (*V. Ephem. 1892 pag. 482*), credimus bene applicari posse ad festa *Lanceae et Clavorum* et *Sanguinis D. N. I. C.* Dicitur in Decreto, hymnum ad primas Vesperas in Festo Sept. Dolorum B. M. V. non esse coniungendum cum hymno Matutini, si festum primis Vesperis

careat, quamvis secundas Vesperas habeat ; sed hymnum Vesperarum dicendum ad Matutinum, alterum Matutini dicendum ad Laudes, tertium de Laudibus ponendum ad secundas Vesperas. Iam nunc, si alia duo festa perpendas, facile comperies, idem fieri posse ob identitatem rationis, quin imo et a fortiori, quia hymnus Vesperarum et Matutini, in utroque festo, non sunt eiusdem metri, ut coniungi nequeant.

Nota. Impedita die 7 Augusti, nobis videtur magis regulare reponere officium S. Caietani Conf. in diem 11 eiusdem mensis, relicto illo S. Emygdii Ep. et M. in die 9; nam dies nona potest haberi pro S. Emygdio uti *quasi natalitia* ; insuper S. Emygdius cum prior sit tempore, de ipso enim fit mentio in Martyrologio die 5 Augusti, potior etiam est iure in repositione.

III. *Pro Cherio*. Praemittimus : circa orationes quae dicuntur post Litanias B. M. Virginis vel post *Tantum ergo*, quando datur benedictio cum Venerabili, nihil in iure esse determinatum, si excipiantur orationes illae, ut ita dicam rituales, nempe de Beata Maria post Litanias et de SS.mo Sacramento post *Tantum ergo*, quae omitti non possunt. Quoad orationes ad modum Collectae ad arbitrium sunt Sacerdotis, dummodo ab Ordinario non sint imperatae. Si tamen principia generalia liturgica et ipsa ratio spectentur, dicendum venit eas tantummodo esse dicendas orationes, quae aliquam relationem habent cum precibus quae dictae sunt. Si ergo in precibus nulla mentio facta sit de aliquo Sancto, puta de sancto Fundatore, nobis videtur de illo nec dicendam esse orationem post Litanias B. M. V. vel post *Tantum ergo*. Haec iuxta nostrum sentiendi modum et romanam praxim.

Nota 1. Gloria Patri quod post *Angelus Domini* vel *Regina coeli* dici solet mane, ad meridiem et ad vesperas,

dici debet eo modo quo dicitur antiphona praedicta, nempe vel stando vel genu flexo, iuxta tempus. Haec est praxis communis.

Nota 2. Ni fallimur ratio ob quam Oratio quae dicitur post Antiphonam *Alma Redemptoris Mater* non habeat conclusionem, ex ipsis Orationis verbis desumenda est, quae nobis demonstrant Salvatorem praesentem. Habet vero praedicta Oratio suam conclusionem in festo Circumcisionis Domini, quia dicitur in actione stricte liturgica nempe in Officio et Missa, ubi conclusio semper habetur et quidem longior.

IV. *Pro Melita.* Diaconus potest transferre SS.mum Sacramentum ex uno in alterum altare, etiam si adsint alii Sacerdotes. Diacono enim *ex potestate ordinaria* competit Eucharistiam *mediate* tangere, seu in vase sacro contentam, hoc est extrahere de tabernaculo, exponere publicae fidelium veneration etc. Vide auctores, qui hac de re ex professo tractant, et *Ephemerides* curr. an. pag. 254 et seqq.

V. *Pro eod. loco.* Cum in Matrimonii celebratione circa modum standi contrahentium nihil determinatum habeatur sive in Rituali Romano sive in Tridentina Synodo etc., ea praxis sequenda est quae in loco viget. Decet tamen, imo necessarium videtur, quod contrahentes prope altare genuflexi sint, cum illis a Sacerdote benedictio danda sit. Et haec est communis praxis.

VI. *Item pro eod. loco.* Uti pluries docuimus, auctoritate Caeremonialis Episcoporum ac Rubricae Missalis nixi, Crux in altari, sive sculpta sive depicta sit, semper debet praeseferre imaginem sanctissimi Crucifixi. In casu proposito conditio ista non verificatur, ideoque, iuxta nos, simulacrum Salvatoris non potest pro Cruce deservire. Arroges, Salvatorem nondum iuxta hoc simulacrum cruci-

fixum dici posse, cum repraesentetur in doloroso itinere ad Calvariae locum.

VII. *Pro regione Belgica.* « Si Missa *de Requiem* non permittatur, ait cl. De Herdt (*Praxis liturg. Vol. 3 n. 265*), nec etiam permittitur absolutio, quae est quoddam Missae accessorium ; et non convenit ut post *Missam diei* absolutio in nigris, uti fieri debet, peragatur ». Quae doctrina pluribus confirmatur Decretis, quorum unum est in *Picena* diei 4 Augusti 1708 (3791-**2186**) ; alterum *Cochinchina*, diei 9 Iunii 1853 ad 1 (5188-**3014**), tertium *Montis Regalen.* diei 20 Martii 1869 ad 10. Audiantur verba huius novissimi : « An fieri possit post Missam solemnem absolutio ad tumulum relicta ex dispositione nostri Fundatoris Archiepiscopi Dom. Hieronymi Verrero in festo S. Hieronymi Doctoris *occurrente in die Dominica* ? » Resp. « Negative et serventur Decreta. » Patet ergo usum faciendi absolutionem ad tumulum in paramentis nigris post Missam solemnem diei, non tantum *praeter*, sed *contra* Rubricas esse. Si vero absolutio ad tumulum fiat *independenter* a Missa, absque ministris paratis, id in veteri iure permissum erat ; nescimus tamen an in novo iure, per novissimam Collectionem Decretorum S. R. C. statuendo, permissio ista in suo robore manebit (Vid. *Ephem.* Vol. IX, pag. 497 et 624).

VIII. *Pro America Septemtrionali.* Quando solemnitas alicuius festi ex. gr. Ss. App. Petri et Pauli, in proximam Dominicam sequentem transferenda est, Missa unica quae hac Dominica de solemnitate dicitur, est Missa ad instar votivae cum una tantum Oratione, ut in festo. Attamen si praeter eam aliae Missae (intellige de festo in dicta Dominica occurrenti) non celebrentur, addi debent, in Missa de solemnitate translata, Commemorationes, sub distincta tamen conclusione, si occurrant, quae numquam

omittuntur, et Evangelium Dominicae in fine. Ita statuitur in novissimo iure suo tempore evulgando. Idcirco pro Dominica prima Iulii ita ordinanda est Missa votiva de solemnitate Ss. Petri et Pauli App.: Si una tantum Missa habeatur, haec dicitur de Ss. Petro et Paulo App., cum sola com. Dominicae et Evangelio Dom. in fine (Commemoratio enim Dominicae pertinet ad eas, quae numquam omittuntur); nihil de Pretiosissimo Sanguine (pertinet namque ad illas Comm. quae omittuntur). Si vero aliae habeantur Missae, principalis dicatur de Ss. Petro et Paulo App. absque ulla Commemoratione; Evangelium S. Ioannis in fine.

IX. *Pro Mantua.* Paramenta ex tela aurea licite adhiberi possunt pro coloribus albo, rubro et viridi, non autem pro violaceo et nigro. Ita Decretum in *Syren.* ad V, d. d. 5 Dec. 1868, quod in nova Collectioni servatum est sub num. **3191** et IV evasit.

X. *Pro Hispania.* Ne tempus frustra teramus, pro certo habeatur, si festum SS.mi Nominis Iesu die sua per accidens impeditum fuerit, quae dies est Dom. II post Epiphaniam, recolendum die 28 Ianuarii, contra festum duplex minus, aut etiam maius, imo etiam contra dup. II classis secundarium: quod vel ad simplicem ritum redigendum esset, si translatione non gaudeat, vel die prima libera reponendum, si translatione fruatur. Hoc patet ex Rubrica speciali novissime reformata. Decretum autem in *Aretina* d. d. 18 (non 19) Iun. 1885 ad III, cum expungendum sit e nova Collectione, non est attendendum.

XI. *Item pro Hispania.* Haec propositio: *Qui Breviario utitur, impresso sine approbatione Ordinarii, obligationi recitandi divinum Officium non satisfacit*, prouti iacet est **simpliciter falsa**. Dicimus *prouti iacet*; quia ratio non satisfactionis esset defectus approbationis Ordina-

rii. Atqui ius positivum non extat id declarans. Aliunde, etiam Breviaria sine approbatione Ordinarii impressa eamdem habere possunt formam ac reliqua approbata. Nemini autem dubitandum, quidquid contra liceitatem dici possit, officium recitatum sub forma a S. Pio V praescripta, esse validum, cum eoque satisfieri. Curandum tamen, ut omnia Breviaria rite eudantur. Hoc iuxta nos, sed, iuxta aliquos Commentatores novae Constitutionis **Officiorum ac munerum**, nulla amplius approbatio requiritur.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE NOVEMBRI.

Titius presbyter regularis adversa, sed levi prolixaque valetudine affectus, detinetur in lecto sui cubiculi, nullam cum valetudinario relationem habentis, et caelesti pane quotidie recreari cupit. Omnes et singuli ritus in Rituale praescripti, *de Communione infirmorum*, ex gr. quotidiana cubiculi aspersio illum ne respiciunt?

Nota — Solutionem Quaestionis pro currenti Mense insequenti numero dabimus.

APPENDIX

E SUPREMA S. OFFICII CONGREGATIONE

I.

Beatissimo Padre,

Il Vescovo N. N., prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone che colle venerate Lettere del 20 febbraio 1888 del S. Of-

ficio veniva accordata facoltà agli Ordinarii di dispensare in punto di morte, e quando non vi fosse tempo di ricorrere alla S. Sede, *super impedimentis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.*

Ora nella mia Diocesi trovandosi non pochi protestanti, e alcuni di questi vivendo già fin d'ora o potendo vivere in concubinato con persone cattoliche, riverentemente domando se colle prefate Lettere s'intende accordata anche la facoltà di dispensare dall'*impedimento impediente di mista religione.* E nel caso non la si ritenesse compresa, supplica la S. V. a concedermi tal facoltà, di dispensare cioè dall'impedimento di mista religione i concubinarii in punto di morte, e quando non si abbia tempo di ricorrere alla S. Sede — Che ecc. (1).

Fer. IV, die 18 Martii 1891.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE.mis et RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, prae-

(1) *Versio latina.* — Beatissime pater. — Episcopus N. N. ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit, per litteras S. Officii datas die 20 Februarii 1888 factam fuisse Ordinariis locorum facultatem dispensandi *in articulo mortis* et cum tempus non suppetat ad S. Sedem recurrendi *super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate linear rectae ex copula licita proveniente.*

Nunc vero cum in ea Dioecesi plures inveniantur *Protestantes*, et nonnulli ex his cum iam vivant vel vivere possint concubinarie cum personis catholicis, omni cum reverentia quaero an ex praefatis Litteris facta etiam intelligatur potestas dispensandi super *impedimento impediente mixtae religionis.* Quod si concessa non intelligatur, S. V. humiliter exoro ut mihi concedere dignetur praedictam facultatem, dispensandi nempe concubinarios *in articulo mortis* et quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, super impedimento mixtae religionis. Et Deus etc.

habitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres rescribendum mandarunt :

Ad I. Negative.

Ad II. Supplicandum SS.mo pro facultate Episcopo concedenda ad triennium, adhibitis solitis clausulis pro matrimoniis mixtis.

Feria vero VI, die 20 Martii eiusdem anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobavit et petitam facultatem benigne concessit.

I. Can. Mancini, S. R. et U. I. Not.

II.

Beatissime Pater.

Relate ad facultates Episcopis a S.ª V.ª concessas (quae etiam parochi subdelegari possunt) dispensandi in articulo mortis a plurimis impedimentis matrimonialibus dirimentibus, Episcopus N N., ad S. V. pedes prevolutus, enixe rogat quoad impedimenta *mixtae religionis* et *disparitatis cultus* benignissimam declarationem, an in istis etiam in articulo mortis non aliter dispensari possit, nisi :

a) ambo contrahentes promittant educationem omnis prolis in religione catholica: et quidem

b) non solum prolis forte adhuc suscipiendae sed etiam antea (in concubinatu vel civili matrimonio) iam susceptae, in quantum scilicet hoc a parentibus adhuc dependet ; atque nisi etiam

c) pars catholica (licet privatim tantum) promittat, quod in quantum poterit conversionem partis non catholicae procurare sataget. — Et Deus etc.

Feria IV, die 18 Martii 1891.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab

EE.mis ac RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres rescribendum mandarunt:

Cautiones etiam in articulo mortis esse exigendas, et in Encyclica S. O. disparitatem cultus, utpote impedimentum dirimens, comprehendi; mixtam religionem vero, uti impedimentum impediens, non comprehendi.

Feria vero VI, die 20 Martii eiusdem anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobavit.

I. C. Mancini, S. R. et U. Inquisitionis Not.

III.

Eminentissime Princeps.

Responsum datum est R.mo Episcopo Siouxormensi cum quaesivisset ut infra sequitur:

« Episcopus Siouxormensis ad pedes S. V. prevolutus, quae « sequuntur exponit: Mos est Indianis huiusce regionis contra- « hendi matrimonia, uxorum suarum indolem ac qualitates ten- « tandi gratia, nempe utrum bonae sint ac prudentes nec ne, « et animo dimittendi si fatuae ac improbae Hinc duo sequen- « tia dubia a S. V. solvenda Episcopus orator implorat.

« I. Potestne ipsis fides adhiberi si iureiurando affirment se « nunquam indissolubili vinculo cum praecedentibus uxoribus « matrimonium contraxisse eisque permitti ut sibi iungant se- « cundum leges S. Matris Ecclesiae eam quam nunc habent?

« II. Possunt ne illi pagani, praecedentibus uxoribus adhuc « viventibus dimissis, ducere eam, cum qua nunc vivunt, si « cum ipsa baptizari velint et Christianorum more matrimonium « contrahere?

« Feria IV die 18 Maii 1892: in Congregatione Generali

« S. R. et U. Inquisitionis proposita suprascripta instantia, prae-
« habitoque R.morum DD. Consultorum voto EE.mi DD. Cardi-
« nales in rebus fidei et morum generales Inquisitores rescriben-
« dum decreverunt:

« Ad I. Affirmative si agatur de infidelibus, post institutum
« diligens examen omnium adiunctorum circa ipsorum credibi-
« litatem, et nullum aut leve dubium supersit de assertionis ve-
« ritate. — Negative si agatur de fidelibus, sed requiritur legi-
« tima probatio.

« Ad II. Si instituto diligenti examine matrimonia cum pri-
« ma, quae iam baptizata fuerit, validum inveniatur, ad illam
« redire omnino tenentur. Si autem non fuerit baptizata, vi
« art. II formulae 1, satis erit eam interpellare, utrum velit
« converti. Ubi vero converti nolit, vel serio dubitetur de vali-
» ditate matrimonii cum prima, poterunt quamlibet ducere, dum-
« modo erit baptizata, renovato consensu.

« Sequenti vero die 19 in Audientia R. D. D. Adsessori S.
» O. impertita, SS.mus D. N. Leo divina providentia Pp. XIII
« relatam sibi EE.morum Patrum resolutionem adprobare di-
« gnatus est. »

Quaerit ulterius idem Episcopus Siouxormensis relate ad primum ubi responsum est a S. Congregatione: « Affirmative si agatur de infidelibus etc., negative si agatur de fidelibus, sed requiritur legitima probatio. » Nunc autem quaeritur de hoc casu qui in praesenti est, nempe: Duo infideles Indiani baptizati sunt a ministro anglicano sine ulla instructione de matrimonio christiano. Ita ut remaneant illi duo baptizati mulier et vir in primaeva pagana notione de matrimonio, idest, credunt se nunquam indissolubili vinculo cum praecedentibus uxoribus matrimonium contraxisse, eisque permitti ut sibi iungant secundum leges S. M. Ecclesiae eam quam habent. Nunc vero vir Indianus, qui tale matrimonium cum primaeva Indiana notione contraxit ad fidem catholicam convertitur, et quamvis ambo

fuerint ab anglicano ministro baptizati et coram eo matrimonium contraxerint; attamen cum matrimonium contraxerint nulla praecedenti instructione de matrimonio christiano, sed omnino cum notione primaeva pagana, et cum vir Indianus, qui ad fidem catholicam convertitur petat, ut matrimonium dissolvatur ob adulterium sponsae vel uxoris, quaeritur utrum responsum ad I. hunc casum attingat.

Feria IV, die 25 Maii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE.mis et RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres rescribendum mandarunt:

Primam partem resolutionis S. O. die 18 Maii 1892 spectare eos qui in infidelitate contraxerant, ideoque applicari non posse iis qui post susceptum baptismum contraxerunt ut in casu. Restat igitur ut Episcopus diligenter inquirat an eorum matrimonium fuerit invalidum ob aliud impedimentum; vel ut ipse Indianus legitime probet se habuisse in contrahendo explicitam voluntatem repudii in causa adulterii, exterius manifestatam.

Feria vero VI die 27 Maii eiusdem anni, SS.mus D. N. Leo Div. Prov. Pp. XIII per E.mum D. Cardinalem Secretarium S. Officii, E.morum Patrum resolutionem adprobavit.

I. Can. Mancini S. R. et U. I. Not.

IV.

Feria IV, die 25 Maii 1898.

In Relatione Status Ecclesiae Colocen. et Bacsien., exhibita S. Congregationi Concilii die 26 maii 1897, sequens reperitur *Postulatum*:

« Cum saepe saepius, ob parochiarum multitudinem magnumque parochianorum numerum, infirmorum provisio per parochorum adiutores fieri soleat, petitur ut facultas dispensandi iuxta litteras S. R. et U. Inquisitionis die 20 febr. 1888 locorum Ordinariis concessa, non solis parochis sed etiam eorum adiutoribus et universim confessariis approbatis modo generali subdelegari possit. »

Cum hoc Postulatum transmissum fuerit ad hanc supremam S. R. et U. Inquisitionem, in Congregatione Generali habita ab EE.mis et RR.mis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem E.mi ac R.mi DD. rescribi mandarunt :

In terminis in una Wratislaviensis fer. IV die 17 februarii 1892, idest: Supplicandum SS.mo pro gratia arbitrio Episcopi pro sacerdotibus idoneis in locis Dioecesis remotioribus, dummodo tempus desit recurrendi ad Ordinarium vel Parochum et periculum sit in mora, ad quinquennium.

Feria vero VI die 27 eiusdem mensis SS.mus per facultates E.mo Cardinali S. R. et U. Inquisitionis Secretario concessas, benigne annuit pro gratia.

I. Can. Mancini S. R. et U. I. Not.

V.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N., ad S. V. pedes humiliter provolutus, exponit quod in ordinatione cuiusdam presbyteri, ad formam *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata etc.*, orator ob scabiem, qua ordinandi caput infectum erat, involuntario quodam motu manus amovit, ita ut nullus daretur physicus contactus. Videtur oratori se caput ordinandi revera tetigisse, ini-

tio prolationis formae, licet de hoc non omnino certus sit. Igitur quaeritur :

I. Potest orator quiescere ?

II. Et quatenus negative, quid faciendum ?

Feria IV, die 8 Iunii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab Eminentissimis et RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres rescribendum mandarunt :

Orator acquiescat.

Feria vero VI, die 10 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini, S. R. et U. I. Not.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

Romae, Typis Fratrum Amoroso, Piazza della Torretta Borghese N. 22-25.